AUTHOR: Loeschhorn, Karl Friedrich Wilhelm

TITLE: Quaestiones lyricae et tragicae

PLACE: Strassburg

DATE: 1871

BIBLIOGRAPHIC RECORD TARGET

The Classics Library
University of Illinois at Urbana-Champaign

CIC 6 / NEH Dittenberger-Vahlen Microfilming Project

Storage Number : 00-0231.5

Loeschhorn, Karl Friedrich Wilhelm.
Quaestiones lyricae et tragicae / C. Loeschhorn.
Strassburg : J. Trubner, 1871.
37 p. ; 23 cm.

1. Greek drama (tragedy). I. Title.

Language: Latin.
Note(s): Includes bibliographical references.

OCLC: nc

Technical Microfilm Data

Microfilmed by
Preservation Resources
Bethlehem, PA

On behalf of
The Classics Library
University of Illinois at Urbana-Champaign
Urbana, IL

Film Size: 35mm microfilm
Reduction Ratio: 11 : 1
Image Placement: IA (IIA) IB IIB
Date filming began: 12-9-02
Camera operator: K. Jones







PM-MGP
METRIC GENERAL PURPOSE TARGET
PHOTOGRAPHIC



A4

150 mm

A5

100 mm


1.0 mm ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz1234567890

1.5 mm ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz1234567890

2.0 mm ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz
1234567890

2.5 mm ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz
1234567890

PRECISION℠ RESOLUTION TARGETS



A & P INTERNATIONAL
715/262-5788 FAX 262-3823
577 LOCUST ST.
PRESCOTT, WI 54021

Herrn Universitäts-Professor und
Oberstudienrath Dr. v. Christ, K.

ehrfurchtsvoll
geschenkt
vom
Verfasser

Quaestiones lyricae et tragicae.

Scripsit

Dr. C. Loeschhorn.

Strassburg i E.

J. Trübner. Münsterplatz.

MDCCCLXXI.

INTENTIONAL SECOND EXPOSURE

Quaestiones lyricae et tragicae.

Scripsit

Dr. C. Loeschhorn.



Strassburg i/E.
J. Trübner. Münsterplatz.
MDCCCLXXI.

Den hochlöblichen Universitäten München und Strassburg i/Els.

gehorsamst gewidmet

vom

Verfasser.

Pars I.

Exercitationes metricae.

Ingrediar in disputatione eam legem, qua credo, omnibus eiusmodi in rebus disserendis utendum est; afferam enim, quantum potero, diversas virorum doctorum de ista re sententias easque non solum adumbrabo, sed etiam quantum eius fieri poterit, refellam ac reiciam. Ac primum quidem saepe numero admiratus sum, quid sit quod recentiore potissimum tempore a philologis nobilibus in arte metrica tot tamque gravia vitia commissa sunt, orta quidem ex errorum radicibus, quae evellendae et extrahendae, non circumcidendae aut amputandae sunt. In quo hominibus opus est eruditis, quales fuerunt Godofredus Hermannus et Augustus Boeckhius; contra si quis alius metrorum cognitionem prae se tulit, aut metricam artem cum rhythmica confudit, antiquorum de hoc genere doctrina neglecta veterum metris partim ad antiquae, partim ad hodiernae artis musicae regulas accommodandis operam dedit tantumque valuit error, ut homines, cum animo nihil videre possent, ad oculos omnia referrent graecosque et romanos numeros modis musicis exprimere studerent. Quo quid fieri possit inconsideratius nescio, praesertim quum nullos alios quam qui arte ac ratione numerorum formas excogitaverunt sollertissimeque in carminibus conscribendis exercuerunt, melius eorum rationem perspectam habere per se appareat. Hic igitur error est eripiendus, haec detrahenda opinio, qua antiqui metrici omnes homines prorsus indocti habentur ratioque quae inter illos singulos intercedat, excutienda est et quid pretii iis tribuendum videatur, constituendum, ut fundamenta doctrinae metricae denuo iaci possint. Constat enim inter omnes, de numeris neminem rectius iudicare posse quam Graecum numerorum artificem, cum totius linguae graecae sonus et rhythmus ad numeri leges simplicissimas effictus sit, in novis

contra linguis aut nullae agnosci possint rhythmorum leges certae ac definitae, aut ita obscuratae, ut non nisi difficillime eluceant, cum poëtae cuiusque arbitrio sint constitutae. Haec fere sufficiant, ut exponam, quam in disputando viam ingredi mihi proposuerim.

Godofredus Hermannus, qui primus metricae artis per longum tempus neglectae fundamenta iecit, in commentationibus ad metrorum Pindaricorum descriptionem pertinentibus se afferre modo posse dicit, quibus numeris poëta usus sit, quas tamen leges ille in versibus consociandis observaverit, aliis enucleandas et aperiendas reliquit. Id modo in universum de coniunctione Pindaricorum metrorum constituit, ea potissimum quae aliquam similitudinem inter se ostendant, consociari solere nec dissimillimos et maxime inaequabiles numeros in nonnullis carminibus cognationem artam inire negat. Sed ut hoc omisso videamus, quid certi G. Hermannus de versibus apud Pindarum logaoedicis constituere potuerit, ea lege disputationem ille ingressus est, ut versibus dactylicis et anapaesticis adnumeret logaoedicos diversitate formarum neglecta. Ac primum quidem mihi liceat generatim de singulis eiusmodi versibus a poëta admissis dicere: deinde videamus de usu. Dactylicorum logaoedicorum vir doctus has tres formas constituit, simplicissimam –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓, syllaba auctiorem –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ –, deinde –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –, quam formam ita variat, ut prioris dactyli longa syllaba dissoluta proceleusmaticum admittat.

⏖́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –, quem versum equidem contra ita metior, ut formae primariae – – – ⏑ ⏑ – ⏑ – agnoscam derivationem, exemplisque firmat unam Ol. 1 ep. 11. Py. 6 str. 5, alteram Py. 8 ep. 8, Nem. 6 str. 11, tertiam Ol. 10 ep. 4. Nem 6 ep. 4 Alterius dactylicorum logaoedicorum versuum generis, cuius lege dactylis trochaei adduntur, exempla enumerat a simplicioribus formis ad magis magisque compositas progrediens.

–́ ⏑ ⏑ – ⏓ / –́ ⏑ – Ol. 13 str. 9. Equidem censeo hunc versum choriambice esse metiendum, ita ut existat monometer choriambicus sequente dipodia iambica propter numerorum diversitatem ad sententias exhibendas sine dubio haud ineptam.

–́ ⏑ ⏑ – – / –́ ⏑ – – Py. 4. ep. 7.
–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – / –́ ⏑ – – Py. 1 str. 9.

–́ ⏑ ⏑ – ⏖ – ⏓ / –́ ⏑ ⏓ Ol. 3 str. 1. 7. Ol. 7 ep. 2. 9. Ol. 8 st. 4 ep. 4. 9.

Py. 12 str. 13. Nem. 5 str. 3 Nem. 9. str. 6. Isthm. 1 str. 2 ep. 3.

–́ ⏑ ⏑ ⏕ ⏑ ⏑ – ⏓ / –́ ⏑ – ⏓ Ol. 3 ep. 7.

Ol. 6 str. 4. ep. 1. Ol. 8 str. 8. Ol. 11 ep. 17. 8. Ol. 12. ep. 1. Ol. 13 ep. 2, Py. 3 str. 11. Nem. 5. str. 5 ep. 3.

Nem. 10. ep. 5. Isthm. 1. str. 1.

Isthm. 2. str. 7. ep. 3. Isthm. 3. str. 4. 5. Isthm. 5. ep. 9. Fortasse de hoc versu, cum sententiam meam priorem sequar, ita iudicandum est, ut habeatur compositus solo dactylo, adonio, dipodia trochaica, cum syllaba longa in altero dactylo in duas breves dissoluta ad glyconeorum naturam non sit accommodata. Nec credo me in hac re modum excedere, cum similitudo non desit, si respexeris versum.

⏕ ⏓ / –́ ⏖ – ⏑ ⏓ Ol. 9 str. 4. Invenies dissolutionem longae syllabae in duas breves in basi glyconea, cui quodammodo prope accedit versus, de quo exponimus. In clausula etiam versuum glyconeorum tale quid admissum esse videbatur; ut exemplo ad sententiam firmandam utar quod mihi praesto est Ol. 1. str. 2. 5. Py. 8 str. 1. Nem. 2. str. 7, in medio tamen choriambo dissolutiones usurpatas esse non facile credam; id quidem dicere iure ac merito possum, me nusquam eiusmodi licentiam invenisse.

–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – / –́ ⏑ – ⏓ Isthm. 3 str. 7.

–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ – – / –́ ⏑ – Isthm. 5. ep. 8.

–́ ⏑ ⏑ – ⏖ –́ ⏑ ⏑ – ⏓ / –́ ⏑ – ⏓ Py. 4. str. 6 De versus logaoedici forma quae est –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ / –́ ⏑ ⏑ – inveniturque Ol. 1. ep. 6. Py. 7. ep. 6. vir doctus ita iudicat, ut nonnunquam in fine versuum logaoedicorum a poëta dactylos adici contendat. Tertium genus Godofredus Hermannus ita constitutum esse censet, ut basin dactylicis numeris adiciat modo spondeo, modo trochaeo, modo iambo, modo tribracho et anapaesto admisso formasque huius generis affert hasce – ⏓ / –́ ⏑ ⏑ ⏕ ⏓ Ol. 1. str. 2. 5. Py. 8. str. 1. Nem. 2. str. 7.

– – / –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏖ – Ol. 5. str. 2. ep. 3.

– – / –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ Ol. 5. ep. 1. Quo absoluto logaoedicos versus dactylicos cum basi constituit, cuius generis glyconeus versus est primarius aut ita constitutus ⏕ ⏓ / –́ ⏕ – ⏑ ⏓

Ol. 9. str. 4. 6. 8. 12. Py. 2. ep. 2. Nem. 2. str. 3. Nem. 4. str. 6. Nem. 6. str. 3. ep. 8. Isthm. 7. str. 5. ep. 5. aut iambo in basi conservato ⏑ — / —́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏓ Ol. 1. str. 1. Py. 8. ep. 9. Nem. 2. str. 1. Accedit versus una syllaba longa auctior Py. 2. str. 3. Py. 8. ep. 5. — ⏓ / —́ ⏑ ⏑ — ⏑ — —, deinde phalaeceus hendecasyllabus — ⏓ / —́ ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏓ Ol. 9. str. 3. 2. —́ ⏑ / —́ ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — Isthm. 7. ep. 1. Versus qui restant — ⏑ / —́ ⏑ ⏑ — — / —́ ⏑ — — Nem. 8. Str. 1 et — ⏓ / ⏑ —́ ⏑ ⏑ — ⏑ — / —́ ⏑ ⏑ — Py. 5. ep. 10. Isthm. 8, 13 ita accipit G. Hermannus, ut priorem illum e pherecrateo dipodiaque trochaica, alterum hunc e glyconeo et choriambo constare arbitretur. In hoc tamen altero versu explicando falli videtur vir doctissimus, verum si quaerimus, quod non apparet, quid sibi velit glyconeus hoc modo formatus — ⏓⏓ — ⏑ ⏑ — ⏑ —, praesertim cum per se basis dactylica in glyconeo non sit usitata et altera eius syllaba ancipite quomodo glyconeus efficiatur, non appareat. Quare equidem censeo, versum ita potius esse explicandum, ut agnoscatur versus alcaicus decasyllabus sive Pindaricus dactylicus qui dicitur, cuius exemplo omnes clausulae strophae alcaicae sunt. A versibus dactylicis pergit ad cognatum numeri genus anapaesticum, ex quo hanc constituit formam logaoedicam ⏑ ⏑ —́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏓ Ol. 9. str. 1 eandemque figuram leviter mutatam — —́ ⏑ ⏑ —́ ⏑ — Ol. 1. ep. 8. Secundariam hanc esse censet ita quidem comparatam, ut logaoedis trochaei adiungantur Ol. 9. ep. 4. — —́ — — ⏑ ⏑ —́ ⏑ — / —́ ⏑. Haec fere Hermannus; videamus Boeckhium qui hos versus logaoedicos cum dactylicos tum anapaesticos statuit. Ac locos singulos afferendi negotio supersedere mihi liceat, cum in illius viri docti opere praeclaro optime collecta invenias.

Quae de formatione logaoedicorum ordinum constitui possunt, sunt haec. Constat Pindarum in versibus logaoedicis fingendis ad aeolicorum poëtarum consuetudinem se accommodasse nec multum in hoc genere novasse. Perbreves esse solere ordines uno modo dactylo posito. Glyconei et pherecratei, ut ⏑ —́ — ⏑ ⏑ — ⏑ —, —́ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ Ol. 1, 1 choriambi cum basi, ut — ⏑ — ⏑ ⏑ —, —́ ⏑ ⏑ — ⏑ —, dactylus basi carens compluribus trochaeis adiunctus Ol. 5, 1 apud Pindarum sunt usitatissimi. Porro exploratum est, bipedes et

tripedes trochaicos ordines vel iambicos catalecticos frequentissime a Pindaro logaoedicis interseri, rarius quadripedes (Ol. 1, 5) aut qui admiscentur illis aut qui sui sunt iuris. Arses apud aeolicos poëtas dissolvi non solent, apud Pindarum saepenumero, inprimis in versibus iambicis et trochaicis aut solis aut connexis, in dactylicis contra et anapaesticis rarissime, ut Py. 11, 9, ubi versus legitur –́ ⏑ ⏑͡⏑ ⏑ ⏑ – – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –. In baseos usu differt poëta ab aeolicis; hi enim eam non nisi dactylis praeponunt ita ut omnem pedum bisyllaborum in hac re admittant varietatem, ille etiam basim ante trochaeos iambi aut trochaei formam prae se ferentem collocat eique interdum anacrusin praemittit, qua re initio versus invenitur ordo iambicus ⏑ ×⏖ ⏓ – ⏑. Quod contra iambo baseos vice fungenti in antistropha iambum respondere exploratum est, ut iambus ante dactylos et trochaeos duabus ārsibus congruentibus (cf. Ol. 1. 11. 10) ponatur. Tum constat, complures ordines diversae formae a poëta ad unum versum conglutinari. Quamquam trochaici vel logaoedici ordines minores ex uno numero constant, maxime tamen ex pluribus sunt compositi nec de eo diutius potest dubitari, num ordines in uno versu ita adiungantur, ut alter arsi finiatur, alter ab ea incipiat, extremus arsi concludatur. Denique sine controversia probanda est sententia, qua versuum persaepe ab anacrusi fit initium atque id etiam concedendum, ab anacrusi incipientium fere eandem esse frequentiam quam eorum, in quibus desideratur. Anacrusis apud poëtam nostrum est aut monosyllaba, saepe producta vel anceps, aut bisyllaba anapaesti formam saepe ostendens; valde extensam constitui posse existimo in Ol. 5, 3 ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ –, –́ ⏑ –, –́ ⏑ – ⏑ – ⏑, ut initium versus efficiatur ordine anapaestico aut iambico, id quod apud aeolicos nusquam invenitur. Strophae Pindaricae maioris sunt ambitus quam aeolicae, maiore versuum diversorum frequentia ad unam stropham efficiendam connexa ipsaeque modis maxime variis sunt compositae.

Disputatio de Antigona Sophoclis altera.

Vers. 351 Scholiastes tradit: ἀμφίλοφον ζυγόν/ Ἀντὶ τοῦ. περιβαλὼν αὐτῷ ζυγὸν περὶ τὸν λόφον, ὑπάγει. Ἢ ἀμφίλοφον, τὸν ἀμφιτράχηλον, τὸν ἀμφοτέρωθεν συνέχοντα τοὺς λόφους τῶν ὑποζυγίων. Καὶ λείπει ἡ ὑπό. ὑπὸ ζυγὸν ἄγει. /Εἰς τὸ αὐτό./ Λείπει ἡ ὑπό. In universum scholiastes sensum loci probabili modo exhibuit; erravit tamen in adiectivi ἀμφίλοφος interpretatione grammatica, cum passivae formae adiectivi in antepenultima syllaba accentum habentis substituerit activam significationem. Versus plerumque ita legitur constitutus, ut lectionem ostendat hancce satis quidem mirandam ἵππον ὀχμάζεται ἀμφὶ λόφον ζυγόν. Corruptum esse locum, codicum auctoritate firmatur, ut si quis coniectura quid augurari conetur, non sit vituperandus. Schneidewinus ἀμφιλοφῶν ζυγὸν scripsisse Sophoclem putavit, qua in coniectura nihil iusta reprehensione videtur dignum, quam quod verbum Sophocli subiecit propria ingenii observatione confictum, Graecis tamen inusitatum. Nec defuere qui Schneidewini vestigia ingressi alias afferre tuerique conati sint coniecturas, Kayserum dico et Franzium, quorum ille corrigendum esse arbitratus est ἀμφιλόφῳ ζυγῷ, hic ἀμφὶ λόφον ζυγῷ. Mihi utraque lectio non sufficit, cum in priore dubium sit, num adiectivum quod est ἀμφίλοφος omnino Graecis in deliciis fuerit et si fuerit, probabilius esse censeo, passivum sensum propter accentum id adiectivum ostendisse quam activum, in posteriore ἀμφὶ λόφον adverbii instar sine dubio positum accipi debeat, id quod sensui versus contrarium est, cum praesertim cum voce ὀχμάζεται coniungatur necesse sit. Accedit quod ζυγῷ dativus ad nihil referri potest, sed sui iuris debet accipi, ut instrumentum exhibeat, qua re hoc loco nihil est mirabilius.

Quae cum ita sint, scripsisse Sophoclem haec puto: ἵππον ὀχμάζεται λοφωτὸν ζυγῷ. Hanc coniecturam si diligenter erimus intuiti, fugere nos non poterit, extorqueri sensum non oportere. Adiectivum verbale „λοφωτὸς" Graecis non fuisse inusitatum

Hesychii lexicographi summa auctoritate firmatur; dativus ζυγῷ voce λοφωτὸς coniunctus facili opera instrumenti habendus est, ut non videam, quid meae coniecturae obsit.

Vers. 478. 'εκπέλει legendum esse non credo, sed 'εμπρέπει. Decendi enim notionem hoc loco postulari nemo est quin sentiat, ut 'εκπέλει minus videatur aptum. Blaydesii lectio οὐ γὰρ οὖν πρέπει minus arridet propter vocis οὖν usum, quam in conclusionibus usurpari satis exploratum est. Quid simile huius loci, ubi sententia fertur universalis, non ex iis quae praecedunt novi quid deducitur?

Vers. 592. Scribendum censeo: Ἀρχαῖα τὰ Λαβδακιδᾶν οἴκων ὁρῶμεν

πήματα φθίσοντ' 'επὶ πήμασι πίπτειν. Vulgaris lectio haec est ἀρχαῖα τὰ Λαβδακιδᾶν οἴκων ὁρῶμαι πήματα φθιμένων ἐπὶ πήμασι πίπτοντ', quam si tuemur, versus alter ad metri leges non satis est adstrictus, cum propter responsionem antistrophicam in tertia versus sede postuletur syllaba producta, non duae syllabae correptae. Accedunt ad meam coniecturam confirmandam alia; primum ὁρῶμαι num apud tragicos, ut apud Homerum, eodem fere sensu usurpatum sit quo activum ὁρῶ, satis dubium est, deinde ad chorum ex quindecim hominibus conflatum per sensum pluralis quam singularis numerus videtur accommodatior, ut lectio prodeat ὁρῶμεν οἴκων et sensui et metro mea quidem sententia apta. Veniamus ad alterum versum, in quo plura insunt corrigenda. Ac primum quidem φθίσοντ' induci posse credo, cum hoc tempore rerum adversarum aliarum ex aliis emanantium exhibeatur condicis. Nec plane silentio videtur premendum, formam quidem si spectamus quod futurum φθίσω activo quidem sensu praeditum huic loco convenit, cum πήματα ipsa personarum induant vim atque significationem, quam per poëtarum usum omnes sine controversia Sophocli non solum concedent, sed etiam laudi tribuent. Porro induco infinitivum πίπτειν, propterea quod ὁρῶ censeo usurpari, ita ut notioni cognoscendi sit simile. Quod si ita est, infinitivum a Graecis adhibitum esse certum est, non participium, quod quidem in rerum statum praesentem referri omnes bene tenent.

Vers. 607. Scholiastae verba haec sunt: Οὔτ' ἀκάματοι θεῶν μῆνες. Ἀντὶ τοῦ, ἡ τοῦ χρόνου περίοδος. Ἀγήρῳ δὲ

χρόνῳ δυνάστας· ἀντὶ τοῦ· δυναστεύων καὶ ἄρχων τοῦ ἀγηράου χρόνου κατέχεις τὸν Ὄλυμπον· ἀγήρων δὲ τὸν τῶν θεῶν χρόνον φησὶν, ἐπεὶ μήτε ὑπὸ δυστυχιῶν μήτε ὑπὸ ὕπνου ἐλαττοῦται. Recte explicavit scholiastes sensum versus, nisi forte vocis ἀγήρως notionem quodammodo exaggeravit. Per se enim ἀγήρως nihil aliud significat nisi „non senescens“ nec ratio habenda est rei cuiusdam, ut δυστυχιῶν, ut ὕπνου, cum tale quid in textu ipso non additum sit. Omnino ὕπνος quid cum tempore habeat commune, non prorsus apparet; forsitan ὕπνος latiore significatione per imaginem habenda est tranquillitas, ita ut status nullis impedimentis sit perturbatus aut interruptus. Ὑπὸ δυστυχιῶν fortasse ea de causa adiecit scholiastes, quod calamitatibus praecipue vitae condicio turbatur aut rerum quarundam status, qualis sit oportet, interrumpitur. In universum igitur assentior scholiastae excepto quod additamenta necessaria esse non credo. Alterum vocabulum ὕπνος metaphorice accipiendum est, si poëta habendum est dignum, alterum δυστυχίαι ex notione vocis ἀγήρως ipsius videtur esse profectum ideoque a scholiasta adiectum. Verba quae praecedunt, in calculum vocanda sunt. Meinekius in criticis supplementis ad Sophoclis Antigonam tradit, librorum manuscriptorum lectionem esse eam, ut pars praebeat παντογήρως, pars πανταγήρως. Virorum doctorum sententiae ita discrepant, ut alii illam, alii hanc amplectantur. Bergkius, philologus nobilissimus, quod πανταγήρως admittendum credidit Riemero consentiente, miror, cum notio activa huius adiectivi propter terminationem in ως statui non queat. πανταγήρως, nisi fallor, nihil aliud potest significare, quam omnibus partibus debilis, non tamen, ut Riemerus voluit, nunquam senescens. In Riemeriana interpretatione id quoque displicet, quod omnino vocis πανταγήρως ipsius non agnovit vim et formationem; „nunquam enim senescens“ si valeret illud vocabulum, παντα nullo modo posset dici, exspectaretur potius affixum negativum. Erfurdtius παντογήρως legendum esse censet, quam vocem ita convertit: omnia ad senium adducens. Quae tamen sententia eodem fere modo videtur diiudicanda, quo ea, cuius modo facta est mentio; activam enim notionem statuendam esse non credo, cum vox παντογήρως ex adiectivo et substantivo composita terminatione adiectivi non apposita statum, non actionem significet.

Hanc rem optime sensit Meinekius ideoque coniecit ὁ πάντα πηρῶν, quae convertit: omnium vim minuens. Coniectura per se quidem probabilis sit, si apud prosaicum legatur; hoc tamen loco dictionis robore atque magnificentia postulatur adiectivum quoddam compositum. Fortasse coniectura mea possit admitti πανάλωτος, cum hoc adiectivum et activam et passivam prae se ferat significationem.

Vers. 612. 'επαρκέσει scribit Meinekius. Hanc mutationem non esse necessariam manifestum est; valet enim verbum 'επαρκεῖν sufficere sensu ab hoc loco, ni fallor, alieno.

Vers. 613. 614. Locus is est, ut coniecturarum satis magnam efficere queat multitudinem atque varietatem. Intueamur, ut in omni quaestione critica fieri oportet, quaenam lectio codicis Laurentiani testiumque auctoritate firmetur. Est haec: οὐδὲν ἕρπει θνατῶν βιότῳ πάμπολις 'εκτὸς ἄτας. Maxime offendit vox πάμπολις, quod est incertum, quonam potissimum referenda sit, praesertim cum interpunctione maiore post ὅδ' praegressa ad vocem „νόμος", cui per sensum quamvis difficili negotio conveniat, referri non queat. Sed videamus priusquam nostram in medium proferamus sententiam, quid alii censuerint. Ad verba ipsa scholiastes haec tradit: νόμος ὅδ' οὐδὲν ἕρπει· οὐδείς, φησὶν, ἔστι νόμος ἐν πάσαις ταῖς πόλεσιν, ὥστε φεύγειν τοὺς ἀνθρώπους τὸ συμβησόμενον. Ἠ οὕτως· οὐδείς 'εστι νόμος, ὅς δύναται τῶν ἤδη τελειωθέντων κακῶν προσάγειν βοήθειαν. Ἠ οὕτως· ὁ δὲ νόμος ὁ πάντων τῶν ἀνθρώπων κοινὸς τοῦτο ἔχει μηδένα ζῆν ἄνευ λύπης. Harum duarum sententiarum prior mihi non arridet, cum, nisi fallor, verbis ipsis reiciatur. De auxilio miseris hominibus ferendo in textu nihil videtur inesse; lex potius illa aeterna et ad omnes homines pertinens profertur: neminem abesse a culpa. Atque hoc quidem meum de hac re iudicium alio firmatur argumento, cum scholiastes ita pergat: Ὁ λόγος· σὺ μέν, ὦ Ζεῦ, ἀγήρως τε καὶ δυνάστης εἰς ἅπαντα τὸν χρόνον εἶ· ἡ δὲ τῶν ἀνθρώπων πολιτεία οὐδέποτε χωρὶς κακῶν ἐστιν. Scholiastes cum ipse quodammodo opponat res humanas divinis — dicit enim ἡ δὲ τῶν ἀνθρώπων πολιτεία οὐδέποτε χωρὶς κακῶν 'εστιν — meam sententiam haud esse reiciendam eum censere manifestum est. Vocem πάμπολις ita explicat, ut dicat ὁ κατὰ πᾶσαν πόλιν ἕρπων νόμος, ὅ

'εστι, πάντες ἄνθρωποι. In quo tamen ei non assentior, quod omissa vocis ipsius formatione inepta haec interpretatio non videtur probanda. Scholiastes enim quum vocabulum ad νόμον referat — dicit enim ὁ κατὰ πᾶσαν πόλιν ἕρπων νόμος — verba qualia in textu leguntur, non satis respexisse videtur aut interpunctionem maiorem ante οὐδὲν positam prorsus neglexisse. Fortasse in libro, quo utebatur scholiastes, alio loco legebatur aut interpunctione neglecta sic locus fuit constitutus:

καὶ τὸ πρὶν 'επικρατεῖ
νόμος ὅδ' οὐδὲν ἕρπων
θνατῶν βιότῳ πάμπολις 'εκτὸς ἄτας.

Quae tamen lectio si omnino sit admittenda, verba 'εκτὸς ἄτας non valde placent, cum per figuram quae dicitur ζεῦγμα toti orationi adiecta sint habenda. Eruendum est ex verbis praecedentibus verbum dicendi, cum 'εκτὸς ἄτας legem ipsam contineat. Meinekius dicit, Brunckium voce πάμπολις in πάμπολύ γε mutata sine dubio scopum ferire. Quam ad sententiam firmandam Meinekius affert, γε esse aptissimum et per vocem πολὺ omnia modum excedentia significari. In quo tamen, ni fallor, erravit vir egregius, quod quid sibi velit particula γε coërcens non video et πολὺ sensu generali, ut ita dicam, ad meam cognitionem hucusque non pervenit, πάμπολυ contra nihil aliud significare quam permagnum, permultum constat. Bergkius coniecit παμπαδίς, quod vocabulum perfacili quidem opera fingendum nusquam me invenisse fateor. Omnino vocem παμπαδὶς ad ea quae sequuntur, non esse appositam iam Meinekius in adnotationibus philologicis ad hunc locum rectissime contendit. Quod contra viro doctissimo non assentior, cum pro ἕρπει scribendum esse censeat ἕρπειν; totum enim enuntiatum facile ita potest accipi, ut sui iuris habeatur, non pendens ex verbo dicendi antecedente.

Pars II.

Quaestiones Aeschyleae.

Demonstrare hoc opusculo sonatus sum, quid disquisitiones nuperae Jo. Henrici Schmidtii ad metra canticorum Aeschyleorum melius cognoscenda contulerint.

Agam. 975—1034.

In dissertatione, qua quaestiones metricae tractantur, Magdeburgi anno 1871 scripta et 1873 edita saepius repetivi, me pausas tam extensas, quales constituit Henricus Schmidtius, proferre non audere. Vereor, ne ordines τίπτε μοι τόδ' ἔμπεδον δεῖμα προστατήριον coniungi queant, cum rhythmum finiri post ἔμπεδον ex pausa absque dubio appareat. Porro ordines trochaici, iambici, anapaestici uno quasi tenore decurrere cum soleant, dipodica mensura in iis statuatur necesse est. καρδίας τερασκόπου ποτᾶται — ◡ — ◡ — ◡ — ◡ / ⌊_ / — Λ recte metitur Jo. Henricus Schmidtius; non puto, legem a me modo constitutam hac mensura migrari, quum pausas in clausula eiusmodi versuum, ubi diminuitur orationis praestantia, agnoscendas esse mihi persuasum sit. Prorsus eandem rationem in sequente versu diudicando mihi ingrediendam esse constat, cum pausae in fine ordinis dactylici propositae mihi arrideant. Quod contra priorem meam sententiam retinens non unum ordinem οὐδ' ἀποπτύσας δίκαν δυσκρίτων ὀνειράτων coniunctum statuere conor, sed bene tenens, pausa clausulam trochaici ordinis indicari, cum ipsa sit in fine eius posita, duos ordines separatos ac ne minimum quidem inter se commune habentes in medium proferendos esse censeo. Qua in re secutus sum plerorumque editorum sententiam, inprimis Godofredi Hermanni et Guilelmi Dindorfii. Falso Schmidtius cum semper studeat omnia ad unum numerum referre, trochaicos ordines restituere conatur. Itaque θάρσος εὐπειθὲς non scribendum est, sed cum Hermanno et Dindorfio restituenda lectio εὐπιθές. Cui meae sententiae favet etiam illud, quod duplicis numeri pausam in ευ nullo modo queo agnoscere. Versus mea

quidem sententia est pherecrateus qui dicitur — ◡ — ◡◡ — — primaria forma servata. Rectius deinde Hermannus quam Dindorfius metrum constituit, cum φρενὸς φίλον ϑρόνον sui iuris sit ordo. χρόνος δέ τοι dipodia iambica est nec confundenda cum sequentibus iambis πρυμνησίων ξὺν ἐμβολαῖς, cum senarius in choro inesse non soleat. Quod sibi finxit Joannes Henricus Schmidtius trochaicum senarium catalecticum, viro docto assentiri non possum. Anacrusi enim praemissa eaque ab ordine ipso separata totius strophae rhythmum pervertit. Ubique enim hoc uno loco excepto statuit ordines trochaicos, in quibus a trochaeo ipso fit initium. Solent quidem iambici ordines intermisceri trochaicis, non tamen senarius, qui ad dialogi, non chori indolem est aptus. Deinde Schmidtius ordinem construit eiusmodi formatum ψαμμίας ἐξ ἀκτᾶς βέβηκεν, εὖϑ' ὑπ' Ἴλιον mensuramque eius hanc esse censet:

— ◡ / ◡ / — ◡ / — ◡ // — ◡ / — ◡ / — ◡ / — Λ //.

In quo iusta reprehensione sine controversia dignus est vir doctus. Primum enim caesuram versus ponit non, ut oportet, post vocem, sed post syllabam brevem in βε'//, quo quid fingi possit absurdius haud facile dixerim. Vituperat Schmidtius vehementer lectionem ψαμμίας ἀκάτας παρήβησεν — ◡ — ◡◡ — ◡ — — ◡, ψαμμία enim ἀκάτα coniuntionem substantivi cum adiectivo esse propter sensum plane intolerabilem. Equidem lenius de eiusmodi dicendi genere iudico; agnosco enim imaginem a navigando ductam. Comparatio instituitur inter litus et naviculam; navicula ad litus est appulsa. παρήβησεν vox non ea est, quae propter sententiarum connexum videatur reicienda. παρηβᾶν enim cum de tempore dici non queat, non intelligo; significat potius hoc verbum eum iuventutis statum quo puerilibus annis migratis iuvenis propriam ac peculiarem sibi comparavit vitae condicionem. Deinde non satis bene demonstrat Schmidtius, cur παρήβησεν falsa lectio sit habenda; ne minimis quidem argumentis stabilit ac confirmat sententiam suam, qua traditam lectionem putat corruptam.

Sextum canticum constat ex versibus 1407—1411, quibus per antistropham respondent 1426—1430. Miror Schmidtium non vidisse, metrum huius cantici simplicissimo modo ita posse constitui, ut ubique agnoscantur dochmiaci versus. Inde emergit

hoc metrum versus primi ⏑ ⏑́ ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ – i. e. dimeter dochmiacus. Versus subsequens ex dochmio sequente iambo constans facile potest haberi. Satis notum est, dochmiacum numerum extendi, ita ut iambus aut complures iambi adiciantur. Quis non noverit versum Antig. 1275, ubi dochmium tres iambi excipiunt? Numerus ipse quodammodo concluditur exsistitque tranquillum metrum gravitatem numerorum antecedentium mitigans. Versus tertius is est, ut eius metrum queat agnosci hoc ⏑ ⏑́ ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ – ⏑ –. Luculentissime unusquisque nostrum potest intelligere, utriusque dochmiaci versus exsistere plane eandem formam; est enim prima syllaba longa in duas breves dissoluta. Atque haec quidem mea sententia eo firmatur argumento quod rhythmus paene similis in ordinibus dochmiacis sequentibus non difficili negotio potest agnosci. Equidem versum subsequentem *δαμοθρόους τ' ἀρὰς ἀπέδικες; ἀπόδαμος ἄπολις τ' ἔσει* ita diudico, ut eum constare censeam ex tribus ordinibus dochmiacis, quorum unius – ⏑ ⏑ – ⏑ –, alterius ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ –, tertii ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ – metrum constituam. *δαμοθρόους τ' ἀρὰς ἀπέδικες; ἀπόδαμος ἄπολις τ' ἔσει.* Haec metra ita censeo esse constituta, ut primus ordo dochmiacus habeatur ad praecedentem *ἐξ ἁλὸς ὅρμενον* proxime accedens excepto quod in priore ordine syllaba prima est brevis, in posteriore longa. Concluditur systema versu pherecrateo. Ita arsium duarum concursione, quarum altera in trimetro dochmiaco *ἔσει* inest, altera in fronte pherecratei agnoscitur, fit numeri iusta et ad rei gravitatem apta conclusio. Ceterum Schmidtius rectissimum de hac stropha tulit iudicium, non tamen a viro docto contumeliis acerbis persequendi erant interpretes, quorum G. Hermannus rhythmicam quidem strophae indolem quamvis minime agnovisse censendus sit, metrum tamen non ita falsum constituit. Ordines enim duo primi *τί κακόν, ὦ γύναι*

χθονοτρεφὲς ἐδανὸν

quod plane simili modo conformatos esse constat, meri habendi sunt nec iambus adiungendus est, ut Hermannus censuit, cum unus iambus dochmiacis versibus non affingatur. Ceterum eorum coniunctio magis quam separatio arridet, cum subsequatur trimeter dochmiacus *δαμοθρόους τ' ἀρὰς ἀπέδικες; ἀπόδαμος ἄπολις τ' ἔσει,* alteram cantici partem inchoans atque ita numerorum

statuitur aequalitas quaedam. Vocem *περίφρονα* ita positam, ut in clausula versus legatur, reprehendendam esse rectissime vidit Jo. Henricus Schmidtius, cum in dochmio propter numerorum concursionem ⏑ — / — ⏑ —, ne dochmiacus numerus ipse plane deleatur, extremo loco syllaba anceps ferri non queat. Deinde Hartungius iusta reprehensione dignus est, quod *γε* post *αἵματος* inserit; numerus enim paene nullus existit, si cum eo stamus ac sentimus. Assentiendum potius est Schmidtio Hartungium propter metrorum indolis ignorantiam persequenti.

De cantico v. 1448—1576. Hermanni mensura mihi videtur retinenda. Commendatur enim simplicitate nec, verum si quaerimus, numerorum pulchritudo, quae quamvis singula vocabula vitiose sint tradita, difficili negotio cognosci potest. Schmidtii sententiae, qua versus strophae paenultimus *ὃς πολλὰ τλὰς ἐκ γυναικὸς βίον* pro numerorum similitudine ita accipitur, ut post *τλὰς* pausa statuatur, equidem assentiri non possum, quum numerorum concursione qua arsis arsi occurrit, ut iam saepissime exposui, ad hominum rerum gravitate concitatorum sententias expingendas sine dubio valde videatur apposita. Ceterum causam non video, cur Schmidtius a traditis lectionibus et Hermanniana metrorum mensura nimium quantum recesserit. Dochmiacus enim numerus in versu primo, qualem Schmidtius constituit, restitui nollo modo potest nec logaoedicus arridet, cum duo primi ordines a dactylo incipiant. Inde apparet, ordinem *μηδὲ δεμνιοτήρης* per se esse spectandum nec cum praecedentibus coniungendum; ordo est pherecrateus. Fortasse versus *μοῖρ' ἀτέλευτον ὕπνον, δαμέντος* ita videtur esse accipiendus, ut habeatur compositus ex dochmio et dipodia trochaica, quae metrorum coniunctio a versuum dochmiacorum fingendorum apud antiquos consuetudine non abhorret. Quamquam satis exploratum esse credo, trochaicorum ordinum dochmiacis adiunctorum formam usitatissimam esse dipodiam catalecticam sive creticum; quo ex genere exemplum mihi praesto est Aeschyl. Sept. c. Theb. 95. Ceterum hoc loco idem observari posse existimo, quod in ordinibus glyconeis, quorum nonnullae formae ita sunt comparatae, ut ordini glyconeo ipsi adiungantur unus aut complures trochaei aut ordines trochaici. In strophae ipsius distributione Schmidtius a scopo mihi non aberrasse videtur; adiumentis quae aderant

cum cura atque diligentia in usum vocatis anapaesticum systema quoad eius fieri poterat restituere conatus est, nisi forte coniectura ἔνησθα reprehendenda est, quae mihi valde prosaica ac ieiuna videtur esse. Desideratur enim verbi forma qua actio mali immittendi significatur, ut 'ενῆκας. Atque haec quidem coniectura ferenda est, cum concursio litterarum σ et θ efficiat debilem positionem. Satis exploratum est, textus formam primariam esse hanc:

πολύμναστον 'επηνθίσω δι'αἷμ' ἄνιπτον
ἥτις ἦν τότ' ἐν δόμοις ἔρις
'ερίδματος τ' ἀνδρὸς ὀϊζύς.

Censeo assentiendum esse Schmidtio versuum metra in universum recte restituenti, cum ad anapaesticum numerum ordines antea confusos et metro carentes concinnet; Hermanni sententiam esse reiciendam apparet, cum versus

ἢ πολύμναστον 'επηνθίσω αἷμ' ἄνιπτον,
στᾶσα τότ' ἐν δόμοισιν
'ερίδματός τις ἀνδρὸς ὀϊζύς a rhythmi legibus abhorrere mihi persuasum sit. — ◡ ◡ — ◡ — — ◡ — — ◡ — ◡ si primi versus metrum statuitur, quis non videat, numeri admitti interruptionem quandam non bene ferendam? Prima ordinis pars monometer dochmiacus fortasse haberi posset, si extrema syllaba esset longa, cuius regulae exceptio nullo modo est admittenda, sive probamus Heph. p. 5 sive Aristid. Quint. p. 39 sive Hermann. el. p. 240 et epit. p. 86 (II. edit.) sive Boeckhii de metr. Pind. p. 45 et Rossbachii p. 184, sive Brambachii in libro qui inscribitur (Metrische Studien zum Sophocles p. 59) sententias. Hanc partem sequitur creticus, tertio loco dipodia trochaica. Alter versus logaoedicus est per se probandus στᾶσα τότ' ἐν δόμοισιν, quantum tamen equidem intelligo, logaoedici ordines dochmiacis interseri non solent. Porro rectissime contendit Henricus Schmidtius, anapaesticum systema tetrapodia brachycatalectica, ut ait ipse, — melius tamen, ni fallor, dipodia catalectica dicendum erit, cum anapaestos secundum dipodias metiendos esse constet, concludi debere. Vereor tamen, ne recte iudicaverit Schmidtius, cum non dubitaverit hiatum longae vocalis et litterae consonantis admittere. Quare scribendum fortasse censeo 'επήνθισεν, nisi forte hac coniectura, in qua non ita multum

poëtici nitovis inesse satis exploratum est, orationis elatio migratur. Sed utut res sese habet, laudandur est Schmidtius quod metri integritatem restituere conatus est. Ceteras mutationes Schmidtius tot tamque probandis stabilivit argumentis, ut res disputatione non egeat. Quod tamen primo loco de correptione syllabae longae in clausula positae sequente vocali, deinde ab oratione digressus hanc rem ad vocis δι' indolem depingendam adhibet, vitupero. Deinde miror Schmidtium versum ὤμοι μοι κοίταν τάνδ' ἀνελεύθερον, δολίῳ τε μόρῳ δαμείς ita esse mensum, ut priorem eius partem brevi syllaba τε definiat, id quod mea quidem sententia cum legibus rhythmi pugnat. Accedit quod numerus hoc modo plane tollitur. Equidem credo, versum ita posse accipi, ut habeatur compositus — — — — — — ⏑ ⏑ — ⏑ — ex molosso ad rei gravitatem depingendam et ad ea quae sequuntur bene praeparanda sine dubio aptissimo, glyconeo, ordine anapaestico — logaoedico. Atque huic quidem meae sententiae commendationis accedere cumulum quendam, quod μεταβολὴ ῥυθμοῦ ad animorum concitandorum sententias adumbrandas, nisi fallor, haud inepta hoc loco apparet cf. Mar. Victorin. p. 2539, cum ordinem anapaestico — logaoedicum subsequatur dactylicus ipsiusque Schmidtii mensuram versus Τίς δ' ἐπιτύμβιος αἶνος ἐπ' ἀνδρὶ θείῳ ξὺν δακρύοις ἰακχῶν comprobare videatur. Cui meae sententiae ipse Schmidtius tacite facere videtur pag. 77. Clausulam systematis ita comparatam esse absque dubio constat, ut numerorum forma rei magnificentia depingatur. Trochaei enim primo et altero loco positi irrationales sunt habendi ita ut facile similitudo cum sequentibus trochaeis queat investigari, id quod Schmidtius rectissime intellexit. Hermannus mensuram versus φεῦ, τίς ἂν ἐν τάχει, μὴ περιώδυνος secutus cum dimetrum dochmiacum constituisset, hac eadem ratione in altero syzygio ordinem δαῖμον, ὃς 'εμπίτνεις δώμασι καὶ διφυίοισι Ταντα λίδαισιν metiri coactus erat. In quo mea quidem sententia rectissime iudicavit vir doctissimus, cum ordinem pherecrateum dochmiaco admisceri solere non credam neque exemplum eius generis ad meam pervererit cognitionem. Ceterum logaoedica mensura quam Schmidtius tribus locis, in versu primo, tertio, sexto inesse censet, mihi non arridet, cum dochmios in extrema tragoediarum parte usitatissimos esse inter omnes constet

et ad mutationem rhythmi efficiendam facile haberi queant aptissimi. In tertio syzygio constituendo non video, cur Schmidtius a traditis lectionibus et Hermanni textus forma metrisque statutis recesserit. Coniecit vir doctus, cum coniecturis non esset opus omisitque quaerere; quomodo logaoedicum systema apte concludi possit. Porro coniecturam *οἰκεῖον* improbo, cum eam ducam satis ieiunam. *δαίμονα* enim Atridarum domum iniuriis persequentem *οἰκεῖον* esse per se apparet neque videtur enuntiandum; desideratur tamen in lectione Schmidtii ea res, quam deus perdere studet. Ordo *ἀτηρὰς τύχας ἀκορέστου* ⏑ — — ⏑ — ⏑ ⏑ — — is est, ut in clausula admitti nullo modo queat, praesertim cum ordini pherecrateo et glyconeo basis non praecedat, cum tale quid nusquam, ubi de eiusmodi versibus fit mentio, commemoretur. (Heph. p. 56, Herm. elem. p. 520.) Iambus igitur sine dubio ad versum proxime antecedentem referendus est. Falso metitur Schmidtius versum sequentem *ἰὴ ἰὴ διαὶ Διὸς παναιτίου πανεργέτα,* cum caesuram post primam syllabam *παν* in voce *παναιτίου* statuat. Quae tamen eius sententia ideo potest excusari quod trochaicum numerum restituere conatus est. Quae tamen res omnino necessaria non est, cum pausa post *ἀκορέστου* sublata longaque syllaba, non brevi, ut perquam inepte sensuit Schmidtius, arseos cum thesi fiat concursio iusta. Ordo igitur, de quo exponimus, constat ex duabus tetrapodiis ad unum ordinem coniunctis; ita enim eum accipiendum esse intelligitur ex syllaba *παν* initio alterius partis usurpata. Erravit extremo loco Schmidtius, cum ultimam syllabam in *'εστὶν* ducat productam. Ordo est dactylico — logaoedicus in trochaeum, ut per se apparet, exiens. Vocabula enim *τί τῶνδ'* ad versum praegressum refero, ita ut eius extremo loco existat creticus ad sententiam firmandam in usum vocatis duobus locis Antig. 359 et 369. Id quod haud bene intellexit vir doctissimus, cum ordinem constituerit valde confusum, ne dicam, plane absurdum. Quid enim sibi velit pausa post primum trochaeum, intelligere non queo; in terrumpitur omnis logaoedicorum versuum indoles.

De canticis in Choephoris.

Ubique fere Schmidtii sententia iusta reprehensione est digna, cum iambicos ordines, ni fallor, nusquam statuere conetur, sed

ubique trochaicos versus in medium afferat anacrusi praemissa. Atque haec quidem ficta opinio eo magis reicienda est tum quum ordines facillime queunt statui acatalecti, ut hoc loco. Quare Dindorfius mea quidem sententia rectius huius strophae metra perspexisse videtur, quum versum primum, sextum, septimum censeat esse dimetros iambicos sive quaternarios. Versum alterum esse trimetrum iambicum acatalectum, non hexapodiam trochaicam catalecticam cum anacrusi, ut Schmidtius distinguit, censet Dindorfius me assentiente, cum stropha ipsa sit iambica. Coniectura a Schmidtio prolata *κόπῳ* ea est, ut reici debeat. Non enim mea quidem sententia potest intelligi nisi ita ut sensus extorqueatur. Quod contra *ὀξύχειρι σὺν κτύπῳ* si legitur, sensus existit tolerandus. De versu *δι' αἰῶνος δ' ἰυγμοῖσι βόσκεται κέαρ* diutius dubitari non potest, quum metrum eius esse exploratum sit ita compositum, ut ostendat primo loco bacchium, altero creticum, tertio tetrapodiam catalecticam. Coniungit vir doctissimus ad unum ordinem versus qui mea quidem sententia per se sunt spectandi, cum uterque sit quaternarius sive tetrapodia iambica. Et quoniam duo quaternarii ad unum ordinem coniungi non solent, si audimus Heph. p. 29, ordines per se sunt intuendi. Dochmiacus ordo est — ⸌— — — — *πρόστερνοι στολμοί*, ut recte vidit Dindorfius, cui proxime accedit ordo choriambicus —, ⸌— ◡ ◡ —, — *πέπλων ἀγελάστοις*. Ceterum partes duas facile constitui posse in stropha rectissime sensit Schmidtius ideoque post *νεοτόμῳ* cantici censuit esse incisionem quandam statuendam. Quae quidem viri doctissimi sententia eo etiam firmatur, quod versus quartus *ὄνυχος ἄλοκι νεοτόμῳ* idem metrum quam decimus *ξυμφοραῖς πεπληγμένων* dipodiae scilicet trochaicae catalecticae speciem prae se fert, quae forma a priore nonnihil aliena est, quum in altero versu syllabae longae ubique sint dissolutae. Mensura quam Schmidtius constituit in versu septimo *πρόστερνοι στολμοὶ πέπλων ἀγελάστοις* mihi valde improbanda videtur propterea quod tricipites longae syllabae quater deinceps positae, si recte intelligo Boeckhium de metr. Pind. p. 39, rhythmum paene nullum hoc loco efficiunt. Prior ordinis pars est monometer dochmiacus sequente tripodia iambica catalectica, quae metri forma a me statuta probatur exemplo Antig. 1275; utrum enim syllabae longae sint purae an dissolutae, nihil refert.

v. 42—53 = 54—65.

Plane falso Schmidtius de strophae metro iudicat, cum ubique excepto ultimo versu anacrusin statuat, ut trochaicum numerum extorqueat. Multo simplicius res potest accipi, si cum Dindorfio versum primum et quartum ducamus trimetros iambicos ita ut in primo arsis insit tribus locis dissoluta in syllabas breves. Deinde Schmidtio assentiri non queo, quum pentapodiam trochaicam catalecticam praemissa ut solet anacrusi altero loco statuere conetur. Quo mihi nihil videtur esse audacius. Excusari quodammodo posset illa sententia, si vox ἰὼ desideraretur, quum ordines

γαῖα μαῖα, μωμένα

μ' ἰάλλει δύσθεος γυνά simili modo formatos esse perspicuum sit. Facillime voces ἰὼ γαῖα μαῖα, μωμένα μ' ἰάλλει ita possunt diiudicari, ut ad unum ordinem conglutinentur iambicam mensuram prae se ferentem. Praecedit ordini bacchius; ipse est tetrapodia iambica hypercatalectica. Priorem ordinis partem dochmiace etiam posse accipi fortasse quispiam dixerit, ut Dindorfius; recedere tamen eum, ni fallor, Dindorfium in hoc genere secutum ab sententia oportet, si diligenter secum reputet, hypercatalecticos ordines iambicos dochmiacis versibus non affingi, sed anapaesticos, si audimus Seidlerum de verss. dochm. p. 144. Versus tertius constat ex duabus tetrapodiis trochaicis catalecticis, id quod fortasse sensit Schmidtius, quum trochaicum numerum ubique in stropha restituere conaretur. Versum τί γὰρ λύτρον πεσόντος αἵματος πέδοι; sententiam suam secutus qua trochaici versus proferendi sunt, ad eundem numerum refert; simplicius tamen res ita videtur accipienda, ut ordo statuatur iambicus. Stribliginem admisit vir doctissimus, quum ultimam syllabam σιν in θανάτοισιν ducat esse longam; equidem puto eam esse correptam.

Stroph. 58—73.

In universum non ita falso iudicavit Schmidtius de huius strophae metris. Semper cum id studeat, ut unitatem rhythmicam quandam in numeris per se diversissimis restituere conetur, hanc legem hoc itiam loco bene tenet. Ordines igitur statuit trochaicos ita quidem comparatos, ut praecedat anacrusis. Propositum quod secutus est ita ut secum non pugnet, laudo; non

tamen ei assentiri possum in horum versuum mensura, propterea quod unitatem rhythmicam ubique restitui posse mihi non persuasum est. Equidem versus puto iambicos eo magis ad hanc sententiam adductus, quod senarii existunt iambici. In metro duorum versuum subsequentium restituendo omnibus viribus atque opibus enixus est Schmidtius, ut eos ad trochaicum numerum referat. Non tamen credo tale quid admitti posse, propterea quod ordo existit longior quam qui tolerari queat. Est enim decapodia cum anacrusi. Respicias deinde, quaeso, caesuram tam male collocatam, ut totum numerum evertat. Decapodiae, si omnino esset admittenda, sine dubio post quintum pedem caesura esset statuenda, non post sextum ita ut sequeretur tetrapodia. Quare cum Hermanno duo ordines in medium proferendos atque ita scribendum censeo:

διαλγὴς δ'ἄτα διαφέρει
τὸν αἴτιον παναρκέτας νόσου βρύειν.

Censeo his versibus ita quempiam mederi posse, ut scribat *διαλγὲς ἄτα διαφέρει* i. e. culpa triste quiddam prae se fert. Deleo igitur *δ'* inducoque neutrum *διαλγές*, ita ut accusativus pendeat ex voce *διαφέρει* et in universo enuntiato interiectionis orationi ipsi interpositae species non agnosci non queat. Adductus sum ad hanc coniecturam ea re, quod priore loco restituere mihi proposui quaternarium, posteriore senarium. Quamquam me non fugit, coniunctionem ordinum inverso ordine prolatam antiquis multo magis fuisse in deliciis. Epodi metra Schmidtius optime restituit. Canticum magna rhythmorum diversorum bene inter se coniunctorum magnificentia excellit. Textus qualis a Schmidtio statutus est, est is, ut in eo acquiescere possimus. Stribligines admisit vir doctissmus duobus locis, cum versum tertium et quartum cum primo et secundo quodammodo ad unam rhythmi formam referre studeat atque ita ultimam et tertii et quarti syllabam putet esse productam. Falso: Nam *ου* in voce *'εςᾶγου* et *α* in voce *δίκαια* efficere syllabam brevem absque dubio constat neque argumentis opus est. Sed videamus singula. Lectio *ἀμφ' ἄπτολιν* reicienda est, cum valde sit prosaica. Quemnam nostrum fugere poterit, dictionis Aeschyleae grandiloquentiae et magnificentiae optime convenire lectionem *ἀνάγκαν γὰρ ἀμφίπτολιν* ab Hermanno statutam? In tertio versu rectius for-

sitan scribendum erit πατρώϊον pro πατρῴων, ut existat dipodia iambica. Cui sententiae favet etiam illud quod μεταβολὴ ῥυθμοῦ quae dicitur ex iambico numero in trochaicum haud sine difficili negotio potest agnosci. Atque haec quidem mutatio numeri melius agnoscitur dipodia iambica priore loco statuta quam thesi suppressa bacchio allato. Extremo loco commemoranda videtur esse scriptura κρυφίοις pro κρυφαίοις, quam equidem reiciendam esse censeo. Interrumpit enim numerum iambicum hoc loco mea quidem sententia necessarium. Plane nullum contra existit metrum, si Schmidtii lectio κρυφίοις probatur

◡ — ◡ ◡ — / — ◡ — ◡ — ◡ —, non enim anacrusis ordini logaoedico praemittitur.

Suppl. 776 - 807.

Engerus in Philologo XII p. 373 contendit, recte legendum esse Pers. 564 Ἰαόνων χέρες, non διὰ δὲ aut διά γε, quod scripsit Hermannus. ἠδ' α Dindorfio in textum receptum est. Causas affert Engerus, quibus coniectura probetur, has. Dicit, quamvis in metris antistrophicis syllabae longae in rhythmo trochaico duae breves, inprimis in διὰ vocabulo respondere possint, hoc etiam loco poëtam sine dubio accuratae responsionis leges servandas esse voluisse. Non tamen solum hac de causa διὰ δ' reiciendum esse, sed etiam sensu repugnante. Id quod iam Hermannum bene scivisse ideoque coniecisse διά γ' tradit. Addit tamen, hanc coniecturam sibi non sufficere, cum sententia ipsa particula restrictiva γε minuatur. Magnopere enim esse enuntiandum plagam gravissimam Persicis inflictam esse navibus. Non tamen assentior Engero quod lectionem codicis Medicaei βαρίδες τε πόντιαι retinet reiecta βαρίδεσσι ποντίαις. Offendit enim constructio si legitur βαρίδες τε πόντιαι, cum non bene appareat copiarum commemoratio dativo exhibenda. Nominativus si admittitur βαρίδες τε πόντιαι, dictionis quaedam elatio ad Aeschyli orationem maxime accommodata bene quidem elucet, substantivis quae continent personam et rem Ζέρξης et βαρίδες πόντιαι, coniunctiva particula τε iuxta positis ita ut eadem vis et gravitas tribuatur personae et rei. Credo tamen scribendum esse βαρίδεσσι ποντίαις, cum personas res concomitantes cum adiectivo coniunctas solo dativo explanari solere constet magnificumque illud exponendi genus ad eiusmodi rerum simplicium

descriptionem non videatur appositum. Puto igitur scribendum esse βαρίδεσσι ποντίαις, ut legerunt Hermannus et Dindorfius. Hanc sententiam secutus Engerus locum antea memoratum ita correxit, ut scriberet αἴτ' Ἰαόνων χέρες; non tamen credo admittendam esse lectionem tam ieiunam. Ceterum sine controversia ipse sibi pugnat poëta, cum antea coniunctiva particula Xerxem et naves, hic eodem modo naves et manus coniungat. Coniectura διαὶ τ' Ἰαόνων γέρας ab Heimsoethio prolata mihi non arridet, cum metri leges violentur, quod uni syllabae productae si accuratissime metra sibi respondeant, duae syllabae correptae non tamen iambus ex syllaba correpta et producta conflatus concinere potest. Per se διαὶ ab Aeschyli scribendi consuetudine minime abhorret, cum inveniatur in Agam. 448.

Engerus in Philologe XII p. 376 stropham et antistropham ita constituit:

τοὶ δ'ἄρα πρωτόμοροι δή,
φεῦ,
λειφθέντες πρὸς ἀνάγκαν,
ἠέ,
ἀκτὰς ἀμφὶ Κεχρείας
ὀὰ, στένε και δακνά —
ζου βαρὺ δ'ἀμβόασον
οὐράνι' ἄχη, ὀά.
τεῖνε δὲ δυσβάϋκτον
βοᾶτιν τάλαιναν αὐδάν.

ἀντιστρ. γναπτόμενοι δ' ἀλὶ δεινὰ,
φεῦ,
σκύλλονται πρὸς ἀναύδων,
ἠέ,
παίδων τᾶς ἀμιάντου.
πενθεῖ δὲ δόμος στερη —
θεὶς τοκέες τ' ἄπαιδες
δαιμόνι' ἄχη, ὀά
δυρόμεθ' οἱ γέροντες
τὸ πᾶν δὴ κλύοντες ἄλγος.

Hermannus in adnotationibus ad hunc locum se non dubitare dicit, ἔρρανται hic collocare, quamvis in libris in versu 582 inveniatur coniecturamque ipsam defendit in diss. de versibus

spuriis apud Aeschylum p. 8. Opusc. II p. 81 seq. Engerus dicit, in Medicaeo non inesse ἔρρανται, sed ἄπαιδες 'εραδαι μονιάχῃ; 'εραδαι mutasse Byzantinos in ἔρανται vel ἔρρανται ἐν δάκρυσι. Haec altera tamen Engeri sententia mihi non arridet, cum desiderem argumenta necessaria firmaturque mea opinio eo etiam argumento quod Engerus proponit textus qualis in codice Medicaeo inest hanc delineationem: ἄπαιδες ἐραδαει/μονι ἄχῃ. Cum enim lineam distinctivam ponat inter ἐραδαι et μονιάχῃ, ipse quodammodo mihi significare videtur, codicum scripturam 'εραδαι retinendam et per se esse spectandam, ita ut eius litterae cum iis quae sequuntur nihil habere censendae sint commune neque intelligere queo, cur Engerus litteras δαι a voce δαιμόνι' subsequente traductas esse ad verbum 'εραδαι praecedens contendat. Ac ne de Byzantinis quidem certi quid tradit, sed solam profert suam coniecturam argumentis carentem, assentior contra ei, quod metrum violari verbo ἔρανται contendit, sed cum pro certo sit habendum, saepissime Graecos iam antiquioribus temporibus ἐρρανται scripsisse i. e. post vocales duplicem litteram ρ posuisse, ita ut Romani post voculam re verbis praefixam repetere solebant consonantes, ut reppuli, ut rettudi, fit ut in hac re cum Engero consentiam. Quod tamen idem vir doctissimus contendit, ἔρρανται tribus de causis, propter formam, significatum, dicendi rationem non concinnam reiciendam esse, detrahenda est haec opinio. Forma enim et significatus per se nihil habent reprehensionis; quod Engerus tertio loco tradit, responsionis leges inter singula verba servandas esse, cum ex antistropha appareat, ab hoc versu novam incipere sententiam, modum in hac re mihi excessisse videtur. Non enim arbitror, ita omnia ad certam quandam compositionis legem accommodasse poëtas tragicos minimeque Aeschylum, eorum principem, ut enuntiata existant concinna verborumque fiat quaedam ad numerum conclusio. Deinde vitia ab Engero in metris animadversa reicio, cum lacuna post πρωτόμοιροι ab eo statuta non videatur admittenda, quod recepta Hermanni lectione πρωτόμοιροι versus τοὶ δ' ἄρα πρωτόμοιροι logaoedicus mihi placet, versu antistrophico γναπτόμενοι δὲ δίνᾳ meae sententiae assentiente. Silentio tamen mihi non premendum est, quod syllaba ab Engero desiderata si in textum recipitur, rhythmo paullulo tantum mu-

tato versus existit hocce modo formatus

— ◡ ◡ — ◡ ◡ — ◡ mere logaoedicus, ad cumque numerum efficiendum mihi arridere lectiones τοὶ δ' ὄρα πρωτόμορ' οἷος et γναπτόμενοι δ' ἀλὶ δεινᾷ codicibus Lips. Cantabr. 2 Par. L. praebitas, scholiastae auctoritate stabilitas, a Lobeckio in comment. ad Aiacem v. 1010 argumentis confirmatas. Non probo Engeri sententiam, Hermanni scripturam δίνᾳ admitti non posse, cum δίνη substantivum maris fluctuationem significans non ita inusitatum esse exploratum sit nec puto τᾶς ἀμιάντου ideo esse reiciendum quod substantivum est supplendum. Credo equidem potius, ut terrae, ita maris persaepe sublatam esse commemorationem eoque magis quod a prosaico dicendi genere eiusmodi ellipsis, qualis hoc loco statuenda est, est aliena, eam censeo esse retinendam.

Sept. c. Theb.
v. 78–181.

Recte quidem Schmidtius dochmiacam mensuram in altero, quarto, quinto ordine agnovit, non tamen ei assentior caesuram falso loco collocanti. In dimetro dochmiaco caesura post primum dochmium statuenda est, in trimetro duae insunt caesurae, quarum altera post primum, altera post secundum dochmium est collocanda. Versus strophae β primus is est, ut ad iambicum numerum facillima opera queat concinnari. In universum recte Schmidtius metra constituit, nisi forte in numeris dochmiacorum versuum ipsis concinnandis, cum rhythmum caesuris falso loco positis evertat, erravit. Quod idem de alterius chorici metris potest contendi, ubi numerum regnasse dochmiacum nemo est quin intelligere queat.

v. 417—630.

Versus strophae β' primus facile alcaicus hendecasyllabus qui dicitur, potest haberi. Qui versus ex strophae alcaicae formatione unicuique est notissimus; primus enim ordinum est ad stropham concinnatorum.

Pers. 65—139.

— ◡ – — ◡ – / – ◡ – ◡ – ◡ –

πᾶς γὰρ ἱππηλάτας καὶ πεδοστιβὴς λεώς. Schmidtius trochaicum numerum constituit; multo melius duo cretici proferendi videntur sequente tetrapodia trochaica catalectica.

Prom. 128—192.

Versus τόνδε πάγον, πατρῴας et τὰν θεμερῶπιν αἰδῶ per se spectandi sunt, cum logaoedicum metrum notissimum efficiant nec cum praecedentibus confundendi. In str. β' versum primum et tertium duco esse quaternarios sive tetrapodias iambicas.

v. 397—435.

Jonicos a minore duobus primis locis statuo eadem de causa quam iam antea attuli.

Adicienda videntur nonnulla quae metra singulorum versuum perlustrans observavi. Choeph. 770. Non assentior Schmidtio ordines νῦν παραιτουμένᾳ μοι, πάτερ Ζεῦ. θεῶν Ὀλυμπίων ad unum coniungenti. Quamvis creticum numerum quem G. Hermannus in elem. p. 191 trochaice accipiendum esse censuit, in trochaicos ordines apud Graecos et Romanos exire posse satis notum sit, non tamen reperi apud poëtas tragicos eiusmodi exempla quibus Schmidtii versuum metiendorum ratio queat confirmari. Exempla mihi praesto sunt Lys. 784. Plaut. Bacchyl. 633. Rudens 211. Non tamen probo Westphalii sententiam (pag. 850), cretico in antistropha respondere posse ditrochaeum irrationali mensura diudicandum, cum non solum desint exempla ad hanc sententiam firmandam, nisi forte textum Aristophanis ipsum depravare nobis propositum est, et ad antistrophicam responsionem efficiendam non solum rhythmi, sed etiam metri postuletur aequalitas.

Pers. 275—278 Audiendus est Schmidtius cum ordines ita constituat

ἴυζ' ἄποτμον βοὰν·

αἰανεῖς Πέρσαι, ὤ. Adductus sum ad hanc sententiam ea potissimum de causa quod numeri aequalitatem cum Dindorfio restituit in stropha vir doctissimus. Ordines sunt iambico - trochaici.

Suppl. 80. Probo Schmidtii sententia numerum trochaicum in ordine κἂν σκότῳ μελαίνᾳ ξυντυχίᾳ μερόπεσσι λαοῖς. Versus constat ex tetrapodia trochaica catalectica et dimetro anapaestico — logaoedico. Cuius generis versuum simile exstat exemplum - ⏑ - ⏑ - ⏑⏑ - ⏑

Suppl. 146. Reicienda est Schmidtii alterius strophae partis mensura anapaestica, cum ordo οὐρανόνικον· χαλεποῦ γὰρ paroe-

miacus paenultimum locum obtinere non queat et si dimeter anapaesticus habetur, propter syllabam deficientem iusta reprehensione dignus sit habendus, cum eiusmodi ordines illo loco positi nusquam, nisi fallor, exstent.

Suppl. 347—349. Arridet mihi Schmidtii mensura dochmiaca, cum numeri aequalitas in stropha ab eo restituatur. Miror tamen quod negat, quartum et quintum strophae versum ad dochmiacum numerum concinnari posse.

Suppl. 616. Schmidtius cum trochaicum ordinem *τὰν Πελασγίαν πόλιν* constituat, dochmiacum numerum evertit. Amplectenda est Hermanni mensura qua dochmiaci ordines existunt.

Prom. 534. Ordo *ἀλλά μοι τόδ' ἐμμένοι καὶ μήποτ' ἐκτακείη* probandus est, cum firmetur exemplo

⏑ — ⏑ — / — ⏑ — ⏑ — ⏑

Prom. 540. Non displicet Schmidtii sententia qua legendum est

μυρίοις πόνοις διακναιόμενον θεῖον δέμας; optime enim versus hoc modo constitutus strophico respondet. Hermannus cum scriberet *μόχθοις*, lectionem protulit non reiciendam, quod extremam syllabam in dipodia trochaica ancipitem esse satis notum est. Servari tamen solet accuratissima metrorum responsio.

Prom. 548. Laudandum est Schmidtii versuum ad anapaesticorum numerum concinnandorum studium; dubito tamen num hexapodia anapaestica catalectica

ἀλαὸν γένος ἐμπεποδισμένον· οὔποτε γὰρ τὰν

ferenda sit, cum eiusmodi exemplum nunquam repererim.

Agam. 689. Laudandus est Schmidtius quod versum *πολυάνδρον δὲ φεράσπιδες* constituit, non adiecit vocabulum *κυναγοί*. Existit enim ordo ionicus a minore.

v. 1570. Recte Schmidtius versum *ὑμνεῖν ὕμνον 'επεύχεται* glyconeum profert; quid enim sibi velint Hermannus et Dindorfius, cum versum *ὕμνον ὑμνεῖν ἐπεύχεται* fingant, non apparet.

Probo in Eum. 321 Schmidtii sententiam pherecrateum *μᾶτερ Νύξ, ἀλαοῖσι* cum ordine trochaico antecedente coniungentis, cum subsequatur pherecrateus *καὶ δεδορκόσιν ποινάν.*

Suppl. 346. Non assentior Schmidtio ordinem iambicum *παλαίχθονος* a dochmiacis subsequentibus seiungenti, cum doch-

miacis versibus iambicos praemitti, coniectura capere liceat ex sententia Seidleri de versibus dochmiacis pag. 9.

v. 946. Probo Schmidtii sententiam tripodiam anapaesticam statuentis, praesertim quum anapaesticus numerus tota stropharum indole indicetur.

Agam. 1574. Stribliginem metricam admisit Schmidtius; quum enim syllaba ultima in voce Ἰφιγένειαν sit brevis, existit iambus pro spondeo in anapaestico metro minime admittendus, quod una temporis mora est praefractior quam oportet. Scribendum igitur sine dubio est cum Hermanno πολυκλαύτης Ἰφιγενείας, ἀλλ'.

Agam. 1561. Non assentiendum est Schmidtio τόνδ' ἀπετίσατο scribenti, cum postulet metrum τόνδ' ἀπέτισεν. Paenultimus enim stropharum anapaesticarum versus ita solet esse constitutus, ut hoc metrum ostendat

— ⏑ ⏑ — — aut ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ —, non — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑.

Agam. 1568. Schmidtius recte vidit reiciendum esse iambum in numero anapaestico. Ceterorum criticorum sententia ἐκπνέων scribentium non ita absurda est, si πνέων per synizesin legimus, ita ut existat trimeter anapaesticus hypercatalecticus.

Choeph. 41. Schmidtius cum βρύει χρονίζοντ' ἄχεα scribat, extremo versus loco syllabam brevem constituit, sine dubio reiciendam, cum metro postuletur choriambus. Scribo igitur cum Hermanno ἀτυχῆ. Accedit quod ut in metro choriambico extrema syllaba producta sit versus indoles postulat.

Choeph. 75. Probanda est Schmidtii mensura versus 78; cum enim intericiat articulum τὰ, restituit iambicum numerum quem critici non assecuti sunt.

Choeph. 78. Metrum πρέποντ' ἀρχετᾶν βίᾳ a Schmidtio prolatum mihi arridet, quod recte trochaicum numerum agnovit vir doctissimus iambico congruentem. Cui meae sententiae favet etiam illud quod in versibus praecedentibus iambicorum cum trochaicis ordinibus fit concursio. Respuenda igitur est Hermanni opinio, trimetrum iambicum δίκαια καὶ μὴ 'μαῖς πρέπον τύχαις βίον statuentis quia eiusmodi ordo peculiari modo est effictus nec congruit cum formis quas modo descripsi.

Choeph. 83. Probo eadem de causa opinionem Schmidtii qui versum τύχας, κρυφίοις πένθεσιν παχνουμένη affert, non

senarium, ut Hermannus *τύχαις, κρυφαίοις πένθεσιν παχνουμένη*. Tota stropha est iambico — trochaica.

Choeph. 327. Mihi arridet Schmidtii sententia *ποινὰν* scribentis; existit enim glyconeus hypercatalecticus et cum in glyconeis versibus basis trochaica sit, rarius spondaica, nisi ratio habetur Horatii, ubi semper spondaica est, iambica tamen, nisi fallor, non inveniatur, reicienda videtur lectio Hermanni *ῥοπάν*.

Choeph. 346. Schmidtius quum ordinem *'πίστροφον αἰῶ κτίσας* in medium afferat, recte intellexit, iambici ordinis cum trochaico hoc loco statuendam esse concursionem, quam strophae indoles indicat. Hermanni lectio *κτίσας 'επιστρεπτὸν αἰῶ* iambicam speciem prae se ferens reicienda est.

In *'Εφυμνῆσαι γένοιτό μοι 'πιακχοῦντ' ὀλολυγμὸν ἀνδρὸς* recte intellexit Schmidtius ordinum concursionem; prior enim versus pars est iambica thesi post *'εφυμ* suppressa, altera dactylico — logaoedica. Atque hoc quidem Hermannus sensisse videtur, cum *ποτε* significaverit asterisco et ab ordine secreverit voces *πευκήεντ' ὀλολυγμὸν ἀνδρός*. Non tamen in adnotationibus metri ipsius protulit medicinam.

Versuum *θρασεῖ' ἀπέστασεν ἄχος*
πρὸς τὸ φαίνεσθαι καλά

metra a Schmidtio prolata ea sunt, ut in iis acquiescere queamus. Recte intellexit vir doctissimus, prioris versus alteram partem esse iambicam, alteram trochaicam textumque emendavit alterius cum trochaicum ordinem *πρὸς τὸ φαίνεσθαι καλὰ* statueret.

Assentior Schmidtio in mensura versus *πόνων· μεγαίρω δὲ δυςφιλὲς γαμήλευμ' ἀπεύχετον δόμοις*. Ordo ex duabus partibus est compositus, quarum altera constat ex dipodia iambica, altera ex tetrapodia trochaica catalectica bis posita. Hermannus tres ordines protulit, Schmidtius eos ad unum coniunxit.

Eumenid. 321. Considerate Schmidtius unum constituit ordinem *μᾶτερ ἅ μ' ἔτικτες, ὦ μᾶτερ Νύξ, ἀλαοῖσι* valde probandum, quod duae arses *ὦ* et *μᾶτερ* congruunt pherecrateusque tetrapodiam trochaicam excipit.

Eodem modo iudico de versu *πτῶκα, ματρῷον ἄγνισμα κύριον φόνου*; dimetrum creticum *πτῶκα, ματρῷον ἄγ/* excipit tetrapodia trochaica catalectica, et de versu *δέσμιος φρενῶν, ἀφόρμικτος αὐονὰ βροτοῖς*, quem duco tetrapodiam trochaicam

bis positam. Unum ordinem esse afferendum intelligi censeo debere ex vocis ἀφόρμικτος collocatione.

Eumenid. 847. Gaudeo quod Jo. Henricus Schmidtius dochmiacam, quam strophae natura prae se fert, indolem versuum 'εμὲ παθεῖν τάδε usque ad δόλοι recte agnovit systemataque ex trinis versibus constantia primus constituit.

Eumenid. 1039. Probo Schmidtii mensuram δεῦρ' ἴτε σεμναὶ θεαί, πυριδάπτῳ dochmiacam mensuram proferentis antistrophae indole flagitatam.

Sept. 287. Schmidtium laudo quum aequalitatem numerorum respiciat iambicosque et ionicos ordines fingat.

Sept. 548. Bene Schmidtius scripsit
γαῖ' Ἀσὶς 'εκκενουμένα, cum iambicum ordinem statueret ceteris strophae versibus congruentem.

Pers. 946. Schmidtius bene intellexit anapaesticum numerum hoc loco esse statuendum ναύφαρκτος Ἄρης ἑτεραλκής.

Prom. 598. Lacunam post κέντροις Schmidtius probe explevit cum scriberet ἀεὶ metro et sensu postulante.

Pars III.

De Aiace Sophoclis.

v. 53. Locus paullo intricatior est quam qui satis bene intelligi, nedum probari possit. τῇ σῇ πρόθυμος κυναγίᾳ prorsus contra morem Graecorum dictum esse contendo, cum dativus τῇ σῇ κυναγίᾳ ad nihil referatur excepto quod eiusmodi coniunctio adiectivi cum substantivo nullo verbo interiecto offendit imperfectamque quodammodo reddit orationem sententia, ut paene mihi persuasum est inani. Quare scripsisse Sophoclem haec fere puto ἔγνων σ', Ὀδυσσεῦ, καὶ πάλαι φύλαξ ἔβην

τὴν σὴν πρόθυμος εἰς ὁδοῦ κυναγίαν.

Ita coagmentantur verba τὴν σὴν ὁδοῦ κυναγίαν pendentia ex praepositione εἰς revocaturque ad saniorem rationem, ut mihi quidem videtur, tota sententia. Per praepositionem enim εἰς id quo tendimus adumbratur, ut Ulixis custodis callidissimi consilia quo spectentur, bene agnosci queat. Porro ὁδοῦ κυναγίαν quasi uno sub accentu legendum censeo propterea quod investigatio ipsa itineris sine dubio intelligenda videtur. Sed haec hactenus.

Vers. 159 non satis perpolitus est, cum orationis concinnitas in eo non servetur. Comparatio quodammodo instituitur inter homines et turres firmitate et altitudine urbes tuentes, quae tamen comparatio non satis perspicua adumbratur legendo σφαλερὸν πύργου ῥῦμα πέλονται. Hinc id certe apparet, coniecturam comparationem quae desideratur sensuque postulatur, redintegrantem nullo modo vituperandam esse, ut afferre audeam hanc lectionem

σφαλερὸν πύργου ῥῦμ' ὡς πέλονται.

Verba quae sequuntur, corrigenda sunt; non enim recte videntur ita constituta:

μὴ μή μ' ἄναξ ἔθ' ὧδ' ἐφάλοις κλισίαις ὄμμ' ἔχων κακὰν φάτιν ἄρῃ. Offendunt nonnulla, primum negatio bis posita μὴ μή, cum nihil sit causae, cur ejusmodi hoc loco admittatur repetitio. Accedit quod negativae particulae plane eaedem Graecorum

dicendi more repeti non solent; frequentissime contra complures negationes ad negativam vim, ut ita dicam, totius enuntiati augendam inveniuntur. Sed videamus cetera. ὦδ' puto esse corruptum, fortasse, si propriam ac peculiarem sententiam meam in medium afferre licet, ex dittographia quae dicitur, ortum, proxime antecedente voce ἔθ = ἔτι. ὦδ' si omnino adhibendum est, significat gradationem quandam, qua cum fiat per interiectionem, totius sententiae vis magnopere augetur. Quae tamen gradatio interiectionis auxilio exhibita, nisi omnia me fallunt, ab hoc loco valde abhorret, praesertim quum iam per particulam ἔτι enuntiatum quodammodo amplificetur. Tertio loco commemoranda est constructio a Graecorum consuetudine dicendi aliena 'εφάλοις κλισίαις ὄμμ' ἔχων, non enim ἔχειν cum solo dativo potest coniungi. Ac non solum quae videntur vituperanda, hic afferam, sed quae mea quidem sententia cum desiderem, in textum recepta velim. Non fit mentio temporis quo ea quae commemorantur, choreutae aut fieri aut futura esse existimant, deinde abest a verbis ut legi solent ἔθ' ὦδ' 'εφάλοις κλισίαις commemoratio longinquitatis temporis, denique in 'εφάλοις κλισίαις ὄμμ' ἔχων non inest accurata eius rei quo oculi spectant significatio. Quas ad corruptelas mea opinione non ita exiguas diminuendas versus duo illi hoc modo legantur:

μὴ νῦν, ἄναξ, δῆτ' εἰς 'εφάλους κλισίας ὄμμα θεὶς κακὰν φάτιν ἄρῃ.

Ceterum coniecturam δῆτ' meam argumento firmare queo a metri regulis profecto; bene enim iam Nauckius in appendice critica vidit, syllabam productam, non correptam, ut ἔθ', metri necessitate postulari.

De hiatu ἄνα 'εξ ἑδράνων iam Nauckius in appendice critica dubitationes movit haud spernendas; recte enim censet criticus ille tale quid abesse a tragoedia formae pulchritudinem non migrante. Assentior igitur Nauckio ἄνστα δ' ἐξ ἑδράνων ad loci corruptelam sanandam commemoranti. Porro metri leges ne violentur nummerosaque fiat versus clausula, μακραίων pro μακραίωνι sine dubio est scribendum. Itaque versus existit, cuius metrum hoc est: — — — ◡ ◡ — / ◡ — ◡ — — constans quidem ex choriambo basi spondaica instructo subsequente dimetro iambico hypercatalectico. Cui non plane consonat is qui sequitur:

στηρίζει ποτὲ τᾷδ' ἀγωνίῳ σχολᾷ quamvis enim una tantum syllaba sit auctior, inest in eo nescio quid languidi atque effeminati, praesertim quum versuum metra repetita in epodis praecipue strophas quasi circumeuntibus, quantum equidem iudicare queo, Graecis non fuerint in deliciis. Accedit quod ποτὲ non satis apte condicionem inertiae, cui Aiax per spatium temporis haud exiguum erat deditus depingit. Hac de causa scripsisse Sophoclem haec fere existimo:
στηριχθεὶς 'εγένου τᾷδ' ἐν ἀγωνίῳ σχολᾷ; praepositionem ἐν usurpari de verbis statum quendam vel condicionem exhibentibus satis notum arbitror, ut nihil videam relinqui dubitationis.

Vers. 199 qui criticorum studia hucusque frustra exercuit, ita corrigendum censeo, ut emendem γλώσσαις βαρυαλγῆ extremumque 'εμοὶ δ'ἄχος ἔστη. Rhythmum totius epodi choriambicum esse admixtis versibus iambicis aut spondaicis interserto quidem dimetro anapaestico βάσσαις πάντων καγχαζόντων ex meris syllabis productis conflato cum arbitrer, omnia ad hunc numerum referri oportere per se apparet. Atque hic quidem numerus haud obscure agnoscitur in versibus ita ut memoravi, effictis; anacrusis enim choriambo hypercatalectico praemissa nihil habet offensionis. Ceterum me rhythmum iustum agnovisse omnes facile concedent singulos versus in singula metra distribuentes.

Pars IV.

De graecae tragoediae initiis quaestiuncula.

Arion Methymnaeus primus poëta Herodoto I, 23 et Suida s. v. Arion auctoribus chorum dithyrambicum disposuit textumque ei subdidit. In quo ita egit, ut elementa incomposita κώμους et ὑπορχήματα, Athen. II, 362 si respicimus, coniungeret. Porro initia quaedam dramatis ab Epigene Sicyonio profecta sunt, qui aliquid ad Bacchum non pertinens (ἄπρος διόνυσον) primus produxisse fertur, ni fallor, apud Plutarchum in Symp. 1, quam quidem vocem postea in proverbium abiisse satis notum est (cf. Cic. ad Attic. 16,13). Quid intelligendum sit ἀπροςδιόνυσον illud, iam Boeckhium satis bene protulisse censeo (Staatshaushalt der Athener II, 362). Nihil aliud puto quam τραγικοὺς χοροὺς ex dithyrambicis Bacchi profectos assentiente vel potius tradente Herod. V, 67, non σατυρικούς, ut quispiam contenderit, mirorque homines doctos de hac re tam simplici tamdiu dubitasse. Post Epigenem sextus decimus poëta tragicus Thespis fuisse traditur a Suida, Athenis primus; quod contra in oppido Phliasiorum chori satyrici dithyrambicis quodammodo contrarii induci solebant, quo in genere Pratinas potissimum (cf. Aristot. de arte poët. cap. 3.) excellebat. Apud Lacedaemonios ὑπορχήματα quae dicebantur (cf. Müller, die Dorier II pag. 366) ab helotis edebantur, apud Boeotios αὐτοσχεδιάσματα. Haec incomposita Arion Suida auctore ita disposuit, ut chorum eiusque cantica ad normam quandam redigeret, κύκλιος ideo videtur nominatus chorus, non quod choreutae circa Bacchi aram saltarent, sed quod carmen ipsum circuli instar quasi ad se ipsum rediit, quum strophis antistrophae responderent totumque systema epodo quae dicebatur concludi soleret; unde lyrica quaedam tragoedia (cf. Boeckh, Staatshaushalt der Athener II, 362) effloruit. De numero quinquaginta cantorum non edocti sumus nuntiis veterum Pind. Ol. 13,25, Herod. 1,23, Schol. ad illum Pindari locum ἐκεῖ γὰρ ὠράϑη ὁ χορὸς ὀρχούμενος· ἔστησε δὲ αὐτὸν

3*

πρῶτος Ἀρίων ὁ Μηθυμναοῖς, εἶτα Λάσος ὁ Ἑρμιονεύς mirorque Bernhardyum in hist. litter. graec. I, pag. 328 hoc pro certo statuisse. Porro ipse secum pugnat Bernhardyus, cum paulo infra I, 331 contendat, de Arione nos nihil scire excepto quod chorum carmina antistrophica circa Bacchi aram iussit cantare composita quidem dialecto doria. Quomodo tale quid inter se queat coniungi, non video nec intelligo quid Bernhardyus sibi voluerit. Accedit quod vir doctus chorum Corinthiacum iam ante Arionis tempora quinquaginta homines habuisse I pag. 328 statuit, quae quidem sententia omni caret fundamento nec praetereundum est quod primum dicit, *κώμους* Corinthiacos eorumque choros ad certam formam nondum esse redactos, deinde paulo infra chorum Corinthiacum ex quinquaginta constitisse hominibus ipse sibi pugnans contendit.

Sed ut ex lyrica poësi existeret tragoedia, dialogum institui necesse erat et ad certam numerorum necessitatem adstringi. Tria chororum genera, *διθυραμβικοί, τραγικοί, σατυρικοὶ* ad tragoediam in lucem edendam permultum contulerunt. Quam quidem meam sententiam ita firmo, ut tragicos et satyricos choros ex dithyrambicis emanasse quum statuerim, in dithyrambicis earumque specie tragica fundamentum positum esse putem chororum tragoediae, in satyrica specie elementum dramatis satyrici Aeschyli tempore fabularum trilogiae adiecti. Arionem enim quem Suidas *εὑρετὴν τραγικοῦ τρόπου* appellat i. e. gravis illius dicendi hiemali tempore generis diversi quidem ab alacri vernis mensibus consueto, satyros ad chorum dithyrambicum adiecisse tradit, ut audientium animos magnificentia dithyramborum permotos ad priscam illam rusticorum hilaritatem converteret. Atque ad hanc quidem consuetudinem Athenienses postero tempore se applicarunt, cum tragoediae adderent drama satyricum. Si respicio Athen. 14 p. 630 C., Diog. Laert. 3, 56, Aristot. de arte poët. 4, 15, concludo dithyrambo Dionysiaco fabulas earumque repraesentationes mimicas cum saltationibus esse intersertas, quas praeccentor sive *κορυφαῖος* ex improviso pronuntiare solebat.

Quum diligenter reputaverimus, chori duci, cuius vice Thespidun ipsum fungi solitum esse paulo infra contendo, plures deinceps personas fuisse agendas, apparebit, actionem partim

narrationibus eius partim colloquiis cum choreutis ad perfectionem quandam esse adductam. Intelligitur porro ex Plut. Sol. 29, Diog. Laert. 3, 56, Athen. 1 p. 22. Aristoph. Vesp. 1479 Thespidem eundem fuisse poëtam, actorem, chori ducem.

Dioscorides poëta Thespidem omne *αὐτοσχεδιασμάτων* genus excoluisse dicit (Anth. Palat. VII, 410, 411); scenicos enim eius in silvis sub divo amatorum personas egisse id quod tamen, ni vehementer fallor, ad rem ornandam commento precario excogitatum est. Longe secus res sese habet; chori dithyrambici dux sive *κορυφαῖος* idemque actor fuit Thespis. Quam quidem meam sententiam antea iam stabilitam hisce etiam firmo argumentis: Plutarchus in Solon. cap. 29. narrat assentiente Diogene Laertio 3, 56, illum ad locum quendam sive *μῦθον* desumptum ex historia fabularum exhibendum vel potius inducendum chorum dithyrambicum duci iussisse curasseque, ut inter eum eiusque ducem, cuius vice ipse fungebatur, vicissitudo quaedam existeret. Accedit aliud argumentum ad meam opinionem confirmandam, quod Plutarchus Them 5 narrat: *πίνακα τῆς νίκης ἀνέθηκε τοιαύτην 'επιγραφὴν ἔχοντα· Θεμιστοκλῆς Φρεάριος 'εχορήγει, Φρύνιχος 'εδίδασκεν, Ἀδείμαντος ἦρχεν.* Quum enim vocabulum usurpet *'εδίδασκεν*, significat, drama ex choro et dialogo quem actor solus declamabat, esse conflatum; *'εχορήγει* vox propria est choro. Ex quo sequitur, Phrynichum personas actoris et chori ducis sciunxisse, Thespidem, cum *διδάξαι* eum fabulas aut cum aliis poëtis certasse nusquam traditum sit, coniunxisse. Rhythmorum dulcedinem in Phrynichi canticis laudat Aristoph. Vesp. 220. 269 Av. 775, quae maximam partem eius fabularum sine dubio occupaverunt.



Buchdruckerei von August Kranzbühler in Zweibrücken.